



DE 22.

29

# MORIBVS MAIORVM

TANQVAM

ANTIQVISSIMO ROMANI  
IVRIS FONTE

DISSERTATIO

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

PERMISSV

SVMMORVM

IN VTRQVE IVRE  
HONORVM CAPESENDORVM

ERGO

PROPOSITA

A

IOANNE GOTHOFREDO  
RICHTERO

A. M.

---


LIPSIAE D. IX. APRIL. MDCCXXXIX.

---

EXCVDEBAT

BERNH. CHRISTOPH. BREITKOPF.





DE  
MORIBVS MAIORVM  
TANQVAM  
ANTIQUISSIMO ROMANI IVRIS  
FONTE.

**E**t in more positum iis, qui Romano iuri ad pristinum decus reducendo operam locauerunt suam, ut quanto magis intelligens quisque excellentiae eiusdem ac maiestatis existimator haberi cupit, tanto altius illud a stirpe et a primis quasi cunabulis reuocet. Cuius iudicij ratio fugit opinor neminem: Quandoquidem Legibus institutisque populi Quiritium ad summum potentiae fastigium euectorum

## IV

## PRO O E M I V M

haut iniuria praestare creduntur antiquissima iusti et aequi praecepta , quorum obseruantia ad id magnitudinis peruenit Romana res. Facillimum foret ostendere , si quidem hic locus pateretur, de vetere disciplina P. R. primaque sacrorum, rei miliaris , et status cum publici tum priuati descriptione copiosus dicere, tam pulcre ab initio sapienterque ea omnia disposita esse, vt inde tanquam ex pede, Herculis statura, sic futurae Imperii amplitudinis potuerit capi mensura.

Reputanti autem mihi hoc in loco, quam acriter a litteris instauratis, ad Regiorum institutorum, Iuris Decemuiralis, vetustissimarumque rogationum memoriam refricandum, et ad verba eaurundem et sententiam exquirendum exarserint eruditissimi homines, mirum non potuit non accidere, plerosque omnes de Legibus scriptis tantum bene mereri instituisse, morum contra Populi Romani vel prorsus esse oblitos, vel leuiter illos ac in transitu attigisse. Qua de re vel a CICERONE<sup>1)</sup> admonitos putassem, qui iura ad illud ciuitatis genuis,

<sup>1)</sup> de LL. L. I. c. 6.

## PRO O E M I V M

## IV

nus, cuiusmodi Romana respublica constituebat, accommodaturus, *non scriptis omnia fiscienda, sed mores quoque serendos esse* inculcat, et alibi quae-dam in *more*<sup>2</sup>, aut in *more maiorum*<sup>3</sup> fuisse scribit, qui teste ipso olim ut lex valebat. Quid! QVINTI-LIANI<sup>4</sup> auctoritas pleraque in iure non Legibus, sed moribus constare aientis, nonne persuadere iis poterat, ut *Morum iura*, vti *as statio*<sup>5</sup> vocantur, diligentius rimarentur.

Sed neglectis tot, tamque grauibus indicibus praeteritus est hic alter Romani Iuris fons, neque licet pauci subinde ad eum recludendum accederent, ita est apertus, ac perpurgatus, ut cunctis pateat, limpidusque manet. Non improbabile igitur me suscepisse confido negotium, dum experiri statui, num me praeceunte ad ipsam scaturiginem penetrari posfit. Enitendum autem mihi esse duxi, ut priscos Mores togatae gentis, quos *Mores Maiorum* frequentius appellari reperio, indagarem, inquireremque in *Moris Maiorum* sensum, formulaeque *Mo-*

A 3

re

2) De Leg. L. II. 24.  
3) De Leg. L. II. 10.

4) L. V. Institut. Orat. c. 10.  
5) L. III. Silvar. Silv. vlt. v. 87.

## VI

## PRO O E M I V M

*re Maiorum* usum : Erat praeterea laborandum in eo , vt capita Iuris , quod moribus continetur , praecipua digererentur explanarenturque . Quam tamen postremam meae disquisitionis partem alio tempore publici iuris facere consultum vi- sum fuit : cum singula vna dissertatione absoluere , ob copiam dicendorum minime conueniat . Comprehendit itaque praesens scriptio de antiquissimo Morum iure , quo Romani sub Regibus et stante libe- ra republica usi sunt , tractationem . Cuiusmodi consilium exequi , haut memini ullius , qui in animum in- duxerit . Nam quae magnis voluminibus nonnulli scripsere de Moribus et Iure non scripto , seu Consue- tudine , ea fere declarant naturam et constitutionem consuetudinis , versanturque in disputatione de A- ctuum ad consuetudinem introducendam necessa- riorum frequentia et qualitate , de temporis diutur- nitate , de Vi et Effectu Consuetudinis et similibus rebus ; de quibus singulis praemoneo , ne quis me agere velle suspicetur .



CA-



## CAPVT I.

DE MORIS NOTIONE ET AB INSTI-  
TVTO DIFFERENTIA: QVID MORES;  
ET QVOMODO DISTENT LEGI-

BVS?



**C**VM in moris notionem inquirere, et qua in re ab  
instituto abeat, dicere ingredior, non sum nesci-  
us, quod de subiecta illi verbo potestate forte iam  
satis constare putatur, existere nonnullos posse,  
quibus differendi principium iusto altius repetiisse  
videar. Verum praeterquam quod tolerabilius  
peccatum sit, aliquanto plus, ac a nobis exigi poterat, ad ornan-  
dum argumentum attulisse, quam valde necessaria praetermississe:  
tum facile apparebit, ea quae circa moris nomen adnoto, si non  
nouiter obseruata sint, multum tamen lucis affundere toti tracta-  
tioni, nec idcirco inde diuelli debere.

MOREM igitur definire licet, esse *obseruationem non lege, sed  
opinione et iudicio confirmatam*. Definitio est **GVL. BVDAEI**<sup>1)</sup>  
supplementis hoc modo verba **VARRONIS**<sup>2)</sup> e libro de Moribus,

B qui  
1) Annotationibus prior, ad Pandect, p. m. 45. 2) Fragmentum seruauit MACRO-  
BIVS Saturnal. L. III. c. 8.

qui morem dicit esse in iudicio animi, quem sequi debeat consuetudo. Quicquid igitur semel iterumque fit ac deinceps crebrius repetitur ac custoditur, siue casu primum fieri coeperit, siue recti et utilis commendatione, dum modo non necessitas ac vis imperet, sed voluntas propria et arbitratus sequi decernat, id secundum VARRONEM vocatur mos. Breuius OVIDIUS<sup>3</sup> usu morem fieri ait. Obseruationis nomen modum moris optime exprimit. Pro more ponunt DONATVS ad Virgilium<sup>4</sup> et IVSTINIANVS Imperator<sup>5</sup>. Similiter GELLIUS<sup>6</sup> obseruationem et disciplinam domesticam dicit, eique publicam animaduersiōnem, legumque sanções opponit. Idem alio loco<sup>7</sup>, et APULEIUS<sup>8</sup> bis morem et obseruationem coniungunt. Atque sic apud plures occurrit.

PAVL O angustiorem significatum mori tribuit POMPEIVS FESTVS<sup>9</sup>, cuius verba etiam laudat MACROBIUS<sup>10</sup>. Mos est, inquit, institutum patrium pertinens maxime ad religiones caerimoniaeque maiorum. Speciatim igitur sacrorum, cultusque religiosi obseruationem denotat, quo sensu, opinor, adhibetur a LIVIO<sup>11</sup> et EUTROPIO<sup>12</sup>, qui Numam Regem Romanis Leges et mores posuisse scribunt. Cuiusmodi enim fuerint mores illi, quos constituit, non difficile coniectu est, cum ex LIVIO ipso, DIONYSIO HALICARNASSEO, TACITO aliisque constet abunde, optimum Regem, quamdui imperarit, in religionibus ordinandis ac sacris ritibus inducendis fuisse occupatum. LVCRETIVS<sup>13</sup>, et OVIDIUS<sup>14</sup> morem sacrorum, et hic posterior alio loco<sup>15</sup>, et PRUDENTIVS in libro II. contra Symmachum aliquoties morem absolute vocant, cum de more ad sacra pertinente sermo est. Pari ratione fas ad religionem refert

3) Metam. L. II. v. 345. Add. WASSE ad Sallustium Bell. Cat. c. 5. p. 68. 69. Ed. Hau.

4) Aeneid. L. VII. v. 601.

5) L. ult. C. Quando tut. esse def. ibi indecora obseruatio pro more surpi.

6) Noñ Att. L. II. c. 24. in princip.

7) L. V. c. 13.

8) De Mundo p. 73. Ed. Elm. Apol. p. 308. conf. Pricaeus not. in Apulei. Apol. p. 128.

9) Voc. Mof.

10) Sat. L. III. c. 8. MACROBIUS Festo Iulii praenomen dat, quod tamen dubium, an a MACROBII manu.

## DE MORIBVS MAIORVM.

## IX

fert SERVIVS in Virgilium<sup>16</sup>, et apud APVLEIVM in Apologia<sup>17</sup> legitur fas sacrorum.

SED reuertor ad morem, quem per institutum explicat FESTVS: licet aliquantulum differre inter se mos et institutum videantur. *Institutum* proprie est factum vel inuentum viri celebris, auctoritateque et apud multitudinem gratia valentis, cuius ad assensum et imitationem reliqui deducuntur, quodque a posteris etiam approbatur ac colitur. Sic fere describunt CAROLVS SIGONIVS<sup>18</sup>, et GVIL. BVDAEVS<sup>19</sup>, neque huius vsus de sunt exempla. Praeter QVINTILIANI enim locum<sup>20</sup>, cuius meminit BVDAEVS, crebro mores et instituta maiorum sociant CICERO aliique. Graeci aequae diligenter inter ἔθνη καὶ ἐπιτυ- δέματα constituunt discriminem, vt liquet e Platone, quem BVDAEVS in testimonium citat, nec non e LVCIANO<sup>21</sup>, qui in Dialogo de Gymnasis Solonem ἐθῶν τῶν ἀρίστων ἐνεργήν καὶ ἐπι- τυδεμάτων ὡφελήμων εἰσηγητὴν appellat. Coniungit ea DIONYSIVS HALICARNASSENSIS<sup>22</sup>. Non vbiique tamen seruari illam distinctionem, me non praeterit.

HACTENVS de more generatim. Mos porro, quando omnibus aut plurimis eiusdem reipublicae populue ciuibus arri- det, et publice adoptatur, consuetudinem gignit<sup>23</sup>, moresque plures in ciuitate vigentes constituant Ius, quod *Consuetudinis, Morum, Iuris non scripti, moribus recepti, inductiue nomine in- signitur*. Cum enim, quamcunque demum vniuersus populus rationem ineat, quid a singulis ciuibus obseruari velit, declarandi, necesse fit, vt ea tanquam actionum norma, iustique et aequi regula custodiatur; vnuquisque intelligit moribus haut fecus reipublicae iura contineri ac scriptis Legibus. Sunt enim mores,

B 2

vt

11) L. I. c. 19.

12) L. I. c. 2.

13) L. I. 92.

19) Annot. prior. in Pand. p. 45.

14) Faft. L. I. v. 465.

20) de Inst. Orat. L. III. c. 7.

15) Faft. L. II. v. 37.

21) T. II. Opp. p. 394. Ed. Benedicti.

16) Ad Georg. L. I. v. 268, 269.

22) L. VII. p. 474.

17) p. 290.

23) Varro apud MACROBIVM l. c.

18) De. A. I. C. R. L. I. c. 5.

morem dicit sequi debere consuetudi- nem.

vt VLPIANVS<sup>24</sup> definit, *tacitus consensus populi longa consuetudine inueteratus*. Dupliciter autem populus suam voluntatem consensumque prodit vel tacite per crebrum ac continuum eorundem institutorum et morum usum, vel aperte per iussiones et Leges publicatas, cuius infinitae sunt species. *Mores* igitur et *Leges*, omnis iuris fontes sunt, quod comprobant QVINTILIANVS<sup>25</sup>, *omne ius, quod est certum ex scripto aut moribus constare inquiens*. Idem plures alii affirmauerunt, quorum loca congesse PETRVS FABER<sup>26</sup> et Interpretates §§. III. et IX. *Institutionum de Iure Naturali Gentium et Ciuii*. Eadem vero cum Legibus vim habent *mores*, nec minus certum efficiunt ius, vt testantur ICTI, IULIANVS, VLPIANVS, HERMOGENIANVS et PAVLVS<sup>27</sup>, sed differunt eo, quod *Leges* promulgatione vim nanciscantur et robur, *mores* vetustate et usurpatum auctoritate valeant; amplius, quod Legibus coacte obtemperetur, mores autem ultra recipiantur, et consensu omnium seruentur<sup>28</sup>. Veterum nonnulli in scriptura praecipuum differentiam posuerunt, ita ut legibus fere ius, quod in scripturam erat relatum, moribus contra quod ex non scripto veniebat, accenserent. Non nimis, ut ab aliis iam animaduersum est, accurate, cum legum verarum licet in scripturam non redactarum memoria supersit, quales fuere illae Laconum a Lycurgo impositae, et antiquissimae omnes. Non est tamen quod dissimilem, morem et ἔθος non modo satis frequenter per legem non scriptam explicari, atque pro ea sumi, vti patet

ex

24) Tit. I. §. 4, in Iurisprud. Anteinst. Schult. p. 563. Conueniunt cum hac definitione definitiones Consuetudinis apud CICERONEM de Inuentione L. II. 22, et Auctorem Rhetor. ad Herennium L. II. 13.

25) De Instit. Orat. L. XII. c. 3.

26) Semeftr. L. I. c. 24. p. 162. Add. CICERO Top. 31. qui Ius viuierium in Legem, morem, et aequitatem dispescit.

27) V. L. 32. §. 1. L. 33. 35. 36. D. de LL.

Senatus-Conf. et Longa Consuet. V. SCHULTINGIUS Enarrat. Part. I. Pand. p. 51. et SAM. PETITVS Comment. in LL. Att. p. 117.

28) Digna sunt, quae hic legantur, verba Suidae, in Voce ἔθος: τὸ έθος εἶ  
τὸν ἐγγειαν ἀρχέπονον, ἀλλὰ βία, καὶ χρή-  
μα. τοῦ έθεος νόμου δικαιοδοσία τυραννίδι. Φί-  
βω γάρ έντεινε, καὶ μετὰ προσάρχοντος δι-  
αποτίτετο. τὸ δὲ έθος μάλλον τῇ φιλαν-  
θησιᾳ τῆς βασιλείας. βαλέσμενος γάρ αν-  
τῷ πάντες δίκαια ἀνάγκης ἔποιτο.

EX SERVIO<sup>29</sup>, SVIDA<sup>30</sup>, ARTEMIDORO<sup>31</sup>, et Scholiaсте THV-CYDIDIS<sup>32</sup>, sed et promiscue nonnunquam usurpari morem et vōuov. e. g. apud ATHENAEVM<sup>33</sup> et alios, quos laudat HENR. STEPHANVS<sup>34</sup>. De illa vero partitione, priscis scriptoribus tam Graecis quam Latinis perquam familiaris, qua Leges et Ius in scriptum et non scriptum dispescunt, illud monendum videtur, ius non scriptum saepe pro iure naturali venire. Testimoniis adducendis, quia vbique obvia sunt, supersedeo.

29) Ad Virgil. L. VIII. v. 316.


30) I. c.

31) L. IV. c. 3. Oncirocritici. Locum adduxit KYSTERVS ad Suidam.

32) Ad L. II. 38. "Δημοφον νόμοι ταῦθη οὐδεῖν."

33) Dipnof. L. IV. c. 9. p. 143.

34) Art. Egos. Conf. SIGFRID BEYERVS in Chronol. Scyth. in Act. Petrop. T. III. p. 297. Apud CICERONEM pro Sextio c. 41. mores pariter per Leges interpretatur Hottomannus. Ad de SVIDAM in Nemos.





## CAPVT II.

DE MORVM ORTV: DEQVE LEGVM  
PRIMORDIIS EXCVRSVS.

**P**RIMI mortalium, ex quo, quibusunque de caussis id factum sit, se congregare, coniunctimque viuere et ciuitates condere instituerunt, necesse habuere, quo societas vinculo constringeretur, certa sequi instituta cunctis communia, et inducere quasdam viuendi regulas, quibus singuli se regi paterentur. Cum enim fundamen-tum societatis ciuilis sit concors ciuium voluntas, nec vlla res vehementius contineat animorum consensionem, quam opinio-num et disciplinae, institutorumque similitudo, non potuere pro-fecto non operam dare, vt omnes iisdem obseruationibus vteren-tur, vtque toti coetui conueniret de norma actionum, disciplinae-que cultu. Quare consentaneum est vt credamus, in omnibus eius-modi hominum congregationibus, siue aequo iure coierint, siue deteriore nonnullorum, melior caeterorum conditio fuerit, inua-luisse ab initio certos mores, qui exemplo et vsu recepti potius, quam iussi ius voluntarium valdeque populare constituerint. Neque vilam puto extitisse nationem tam feram tamque indoci-lem ordinis, quae non pauca quaedam instituta et mores adscie-rit, siue quibus copula inter ipsos confidere nequisset. Forte alia ratio fuerit hominum, quamdiu dispersi adhuc in agris et siue lare certo vixerunt, de quorum immanitate mira multa ac paene incredibilia legimus in vetustis scriptoribus relata. Ac tametsi obiici forte possit, nonni ratione et natura opus fuisse, vt officia, quae ab hominibus vna habitantibus seruari oportet, praestarentur, nemo sibi tamen perfauserit, homines semper na-turam

TURAD

turam et rationem consuluisse, eamque ducem secutos esse. Soli Philosophi sunt, qui sublatis legibus aequabiliter viuere norunt, auctore ARISTIPPO, vt de eo resert in eius vita DIOGENES LAERTIVS<sup>1</sup>: Ostensuri etiam hi forent, vt ait XENOCRATES apud PLVTARCHVM<sup>2</sup>, rationis monitu ea facere, quae nunc metu legum facimus. Multitudo contra exemplorum et consuetudinis imperio longe libentius paret, quam rationis praescripto. Moribus praeterea vt plurimum in usum deducuntur rationis et naturae ediciones, modusque praeſinitur, quo illae executioni dari debeant.

EX iis, quae adhuc disputauī, non inuite sequitur, mea quidem sententia, quod efficere studui, vt non improbable existimetur, vna cum ipsis societatum ciuilium primordiis introduci ac custodiri coepisse mores et instituta, eorundemque obseruantia, quia litteris nondum repertis scriptarum Legum beneficium ignorabatur, iustitiam gentium cultam ac procuratam esse. Nunc age breuiter commemoremus, quae ipsis Veteres de antiquissimorum hominum statu et viuendi conditione, deque cultus Iuris sue Legum origine tradiderunt.

PRIMVM genus hominum singitur fuisse rude solutumque sine imperio, sine iustitia, sine lege, more aut iuris cognitione; diffusosque in agris montiumque cauernis habitasse, et vixisse raptu, tantumque posseditse, quantum manu ac viribus per caedem ac vulnera aut eripere aut retinere potuerint<sup>3</sup>. Postea vero quam,

sue

1) P. m. 135.

2) Aduersus Colotem T. II. Opp. p. 1124.  
Idem fere effatum est Aristotelis apud DIOGENEM LAERTIVM p. m. 313.

3) Testimonia auctorum veterum reperiuntur apud PVFENDORFFIVM de L. N. et G. L. H. c. 2. Plane eximius est CICERONIS in hanc sententiam locus pro Sextio c. 42. Quis enim vestrum indiges ignorat, ita naturam rerum tulisse, vt quodam tempore homines nondum ne-

que naturali neque ciuilī iure descripto fusi per agros ac dispersi vagarentur, tanquam habent, quantum manu ac viribus per caedem ac vulnera aut eripere aut retinere potuissent? Qui igitur primi virtute et consilio praestanti extiterunt, ii perspecto genere humanae docilitatis atque ingenii dissipatos vnum in locum congregarunt, eosque ex feritate illa ad iustitiam atque mansuetudinem traduxerunt. Tum res ad communem utilitatem,

sive Deo quodam eos sociante, quemadmodum Saturnus Aborigines, et Minerua Graeciae populos congregasse feruntur, sive metu acti aut vi compulsi, sive confilio et auctoritate quorundam adducti coepere latebras suas deserere, et in conuenticula concedere, ac sensim ad mansuetudinem assuefacti oppidis extructis in civitates coalescere; tum eodem simul tempore regna condita sunt, vsque venit, ut Regum vel propter potentiam vel ob virtutum excellentiam creatorum nutibus et imperiis regerentur populi. Erant illi reges priores iudices ac disceptatores litium. Certe Legum vincula non ligasse populos, sed Principum arbitria pro Legibus fuisse testatur *IVSTINVS*<sup>4</sup>; et *JOSEPHVS* contra Apionem<sup>5</sup> Graeciae populos diu Regum imperiis et optimis sententiis gubernatos esse scribit; idque causae esse contendit, cur in toto Homeri opere: *...um non fiat mentio, pro quibus semper dēi uotis posuit.* Quamdiu igitur Reges moderatione vnius ius subiectis non ex libidine, sed continuo aequitatis rationisque tenore administrabant, ac praeterea ipsis subditi in antiquae simplicitatis ac continentiae cultu perseverabant, tamdiu felicissime viuebant populi: videturque istis temporibus assignandum aureum seculum, quod

*vindice nullo*

*Sponte sua sine Lege fidem rectumque colebat:*

cui circumscriptio ignota erat et fraus, et quocunque in foro malum nascitur; in quo denique ipsa iustitia inter homines versata esse et ius docuisse traditur. Sed non ita multo post innotuere Leges, tribuentibus tam grande et salubre inuentum ipsis Diis. Solebant nimirum veteres ut cunctorum fere praefantium institutorum sic in primis Legum auctores comminisci deos, ut ex antiquis *DIODOR. SICVLVS*<sup>6</sup>, crecentioribus *EZ. SPANHEMIVS*<sup>7</sup> obseruat-

tem, quas publicas appellamus, tum conuenticula hominum, quae postea ciuitates nominatae sunt, tum domicilia coniuncta, quas urbes dicimus, inuenient et diuino et humano iure moenibus seperfunt. Laudat hunc locum *GRASWINCKELIVS* ad Sall. Bell. Cat. c. 5. p. 64.

65. Ed. Hau. tanquam fragmentum Ciceronis e libris de republica.

4) L. I. c. 1.

5) L. II. 15. T. II. Ed. Hauer. p. 481.

6) Bibl. Hist. L. I. p. 59.

7) Obseruat, in Hymnum in Cererem. p. 677.

obseruat. Nominatim, Saturnus, Iupiter, Minerua, Mercurius, Apollo, Ceres, Isis, Thetis tanti muneriſ celebrantur largitores.

QVANTO nos rectius Deum O. M. Legum Auctorem, veneramur, quem MAXIMVS TYRIVS<sup>8</sup> ἀνώνυμον νομοθέτην vocat.

vs i vero hac priscorum hominum de Diis opinione legislatores celebriores, Leges ſe a numine quodam accepiffe fimalabunt, quo commento Leges suas commendabiles reddidiffe conſtat Mneuin Aegyptium, Lycurgum, Minoēm pluresque alios, quibus id propter ea contigit, vt et ipſi diuinis honoribus a suis ciuibus mactarentur.

F V E R E autem vetustae illae leges non scriptae: Liquet hoc cum aliunde, tum e D I O D O R O<sup>9</sup>, qui Mneuin Populum adſueiffre commemorat ἀγράπτοις νόμοις Χείσασθαι Legibus non scriptis vti. Cantari propterea ſolebant, ne obliuione obliterrarentur<sup>10</sup>. Sed non Leges tantum, verum etiam *mores* homini-bus frumentaque reliquiae exiftimatus eft Iupiter, vt ex Euemero refert LACTANTIVS<sup>11</sup>. Quare non incommodo Iupiter a P A C V V I O in Periboea<sup>12</sup> vocatur *Regum Imperator, aeternum morum Sator;* rectiusque retineri arbitror *morum*, quam ſubstitui *deorum:* quam tamen lectionem praeferunt PET. SCRIVERIUS ET GER. VOSSIVS<sup>13</sup>. *Mores* his in locis, ſi res adeo fabulosas et vetuftas ad conieclu-ram reuocare operae pretium eft, ſignificare videntur honestatis et humanitatis, caeterarumque virtutum cultum et amorem, quo imbuiffe primos homines exemplis et monitu traduntur Di. Apud H E S I O D U M<sup>14</sup> Musæ τὰ ἡδεῖα κεδνά ἀδανάτων *mores* venerandos immortalium canere leguntur.

A b his, quae Poëtarum magis, quam ſcriptorum affenſu dignorum fide nituntur, ſi recesserimus, ſic fere de Iuris inter homines

prin-

8) Differt. 38. p. 402. Ed. Dauifii.

9) l. c. Vertit interpres perperam Legibus ſcriptis.

10) V. CRELLII V. Cl. Commentatio de Primitiis LL. Poëticis.

11) Inſtit. Sac. L. I. c. II.

12) NONIUS cap. de Num. et Cal. p. m. 495.

13) V. PET. SCRIVERI Collecta-nea Vet. Poët. p. 70.

14) Deor. Generat. v. 65.

principio et progreffione statuendum videtur, vt primum populi Iudicis Regum et manu gubernati esse dicantur: Reges tamen instituta quaedam patria et mores respicere oportuiffle credibile est. Multa et ipſi ſubinde fanciuere, ſecundum quae ius administrabatur, litesque dirimebantur. Quia vero non ſemper et patriarum confuetudinum, et ſtatutorum ſuorum rationem habebant Reges, iusque exinde incertiffimum efficiebatur, fieri non potuit, quin Legum certarum et cunctis perspectarum desiderium naſceatur. In plurimis deinde regnis, quia Reges tyrannico more imperitare, ciuibusque perinde ac ſeruis dominari cooperant, abolita regia potestate, vindicatoque in maiores libertatem populo, ſucceffit alia reipublicae forma, extitereque prudentes et patriae amantes viri, qui paucas fed nouo ſtati accommodatas Leges periendo aequalitatem inter ciues et iuftitiam ſeruare docuerunt. Neque propterea veteres intercidiffe putandum eft mores: Quin nihil verifimilius eſſe arbitror, quam maluiffe in republica populari populum confuetudinibus patriis, tanquam tacitae libertatis vindicibus contineri, quam scriptis Legibus <sup>15)</sup>.

<sup>15)</sup> Eodem fere modo ortum Legum meretur locus DIONYS. HAL. L. V. repreſentat FRED. GRONOVI. p. 336.  
VS Diatribe Stat. c. II, p. 9. Conſerri



CAPVT

## CAP. III.

DE IVRIS MORVM IN ROMANA RE-  
PVBLICA VSV ET AVCTO-  
RITATE.

**S**i cigitur censeo esse dissociandorum hominum, disoluendarumque ciuitatum efficacissimum genus, sine villa non dicam Legum, sed morum disciplinaeque obseruatione viuere. Licet enim de Scythis, Gaetulis, antiquis Latii Incolis, et aliis forte vetustissimis nationibus relatum legatur, eas absque moribus et Legibus vixisse, non ambigo tamen, quin paucitas institutorum, morumque inter ipsos receptorum, quam in barbaria et feritate, vel si mitius dixeris, simplicitate pristina nemo mirabitur, suspicionem dederit, easdem ab omni Legum, morum et disciplinae cultu abhorruisse. Nisi dicere malis, iustum ciuitatem haut constituisse istiusmodi populum, sed fuisse dissociatam multitudinem, ut existimat G R O T I V S<sup>1</sup>, et SCHVLTINGI V S<sup>2</sup>. Quare non prorsus male T H E O P H I L V S<sup>3</sup>, quum illa Caii, *omnes populi, qui Legibus aut moribus reguntur, ob oculos haberet, scriptis in paraphrasi omnes populi aut scripto iure vivuntur, aut non scripto:* Vix enim singi ciuitas potest absque morum Legumque aliqua veneratione et cultu. De Aristotele memoriae mandauit C I C E R O<sup>4</sup>, eum librum composuisse, in quo Graeciae et omnis barbariae mores, instituta et disciplinae descriptae erant: Cuius eti laudem adsequi haut adfecto, eius tamen exemplo, Romanorum Moribus Iuridicis colligendis et explanandis nonnihil operae impendere decreui.

C 2

F V I T

1) De I. B. et P. L. I. c. 4. § 2.

3) Instit. § 1. de I. N. G. et Ciuit.

2) Ad Cai, Institut. L. I. p. 2.

4) De Finibus L. V. c. 4. 5.

## XVIII DE MORIBVS MAIORVM.

F VIT populus Romanus ex eorum numero, qui vtrisque tam Legibus quam moribus reguntur, emeritique antiquis moribus et stetit Romana res. Videntur sane mores vna cum ipsa vrbe nati; credibileque est singulos tam diuersarum gentium aduenas, e quibus Romana ciuitas coaluit, aliquid ex patriae consuetudinibus et institutis attulisse. Quod e variis DIONYSIIS aliorumque locis manifeste colligitur. Testatur idem DIONYSIVS<sup>5</sup>, Reges Romanos ex Legum et Morum praescripto creatos fuisse, et alibi<sup>6</sup>, Tarquinium ἐδι νοὺς νόμους quibus sub prioribus Regibus res publica floruerat, euertisse scribit. Inter Regis quoque munia refertur Legum et consuetudinum patriarchum habere custodiam, auctore eodem DIONYSIO<sup>7</sup>, qui<sup>8</sup> et Numam laudat, quod nihil in Legibus et Moribus sub Romulo cultis immutauerit.

C V M igitur sub Regibus, quorum arbitria pro Legibus valebant, quorumque sat magno numero constitutiones tam scriptae quam non scriptae<sup>9</sup> extabant, non exigui quoque momenti essent mores et consuetudines patriae; quid mirum Regibus expulsis populum, qui quodcumque vellet, ius sibi constituendi, potestatem nactus erat, mirifice moribus fuisse, colereque potissimum amasse ius, quod ipse inuexerat. Habemus de hac morum post Regifugium obseruantia testes DIONYSIVM<sup>10</sup> narrantem in supplicio de Bruti liberis sumto, omnia secundum ἐδι νοὺς νόμουν fuisse peracta, et POMPONIVM<sup>11</sup>, qui per aliquod temporis spatium a Regibus fugatis consuetudine ali coepisse populum affueverat. Vbi vero deinceps obortis inter Patri-

5) L. IV. p. 272. Ed. Lips. Primus contra hos mores patrios et instituta regnum capessuissime dicitur Tullius v. DIONYSIVS Hal. L. IV. p. 242.

6) L. IV. p. 242.

7) L. II. p. 87.

8) L. II. p. 125.

9) Ex eo, quod DIONYSIVS L. II. p. 97. de Lege de patria potestate lo-

quens commemorat ignorari, vtrum in scriptis an non scriptis Legibus fuerit recte colligimus, quasdam Regum Leges haut scriptas fuisse. Deinde de Numa expresse idem L. II. p. 133. prodit, eum præter scriptas Leges etiam multa faxisse in scripturam non relata.

10) L. V. p. 293.

11) L. II. D. de Origine Iuris §. 3.

Patricios Senatumque et Plebem dissidiis, et vtraque parte, vt credibile est, mores sed diuersos vrgente<sup>12</sup>, de iure certiore et cunctis aequo condendo conuenerat<sup>13</sup>, tum nouo Legum corpori e Graeciae Legibus institutis ac moribus conflato inserere quoque placuit patrias consuetudines et mores quosdam, vt a DIONYSIO<sup>14</sup> memoriae proditum est.

SED quid? Legibusne scriptis publico ciuitatis voto inductis Morum usus penitus desit? Immo vero tantum abest, vt desierint, vt potius omni tempore tanquam Romani Iuris pars, nec fecus ac Leges custoditi fuerint. Cuius asserti idoneos dabo sponsores. CICERO<sup>15</sup> partes Iuris civilis enumerans, id in Legibus, Senatusconsultis, rebus iudicatis, Iuris peritorum auctoritate, edictis magistratum, more, aequitate confidere ait. Sed longe planius idem in Partitionibus Oratoriis<sup>16</sup>, formas Iuris, quod sine litteris aut gentium iure aut maiorum more retinetur, explicatur, ea aut consuetudine, aut conuentis hominum et quasi consensus obtineri scribit, et subdit, hoc in primis, vt nostros Mores Legesque tueamur, quodammodo naturali iure praescriptum esse, ac deum naturam, Leges, moremque maiorum pro fontibus Iuris et aequitatis agnoscit. Nec dissimili sententia QUINTILIANVS<sup>17</sup> Constitutionem, quam pro Iure ponit, in Lege, more, iudicato, patro esse disputat<sup>18</sup>. Hinc non raro tanquam diuersum a Legibus, iuris vinculum laudantur mores, sicut exempli gratia apud LIVIVM<sup>19</sup> vociferante Claudio - - - ea demum Romae libertas est, non Senatum, non Magistratus, non Leges, non mores maiorum, non instituta patrum, non disciplinam vereri militiae; et apud CICE-

C 3

R O-

12) Appius Claudius in oratione, qua Senatum hortatur, ut plebi nihil concedat, inter alia iubet, *καὶ οὐδὲ τὸ δῆμον περιέργων εὐθύνη* apud DIONYSIUM L.VI. p. 387. Sed conferantur, quae pro se Tribuni L.X.

13) Non sine multorum in Senatu contradictione qui *τὸς περιγόνος φύκατταν εστεργεῖ* suadebant, v. DIONYSIUS L. X. p. 679.

14) L. II. p. 97. et L. X. p. 681. Vide IAC. GOTHOFREDI IV. fontes Iur. Ciui. p. 22.

15) Top. 5.

16) 37.

17) Inslit. Orat. L. VII. c. 4.

18) Alia loca idem comprobantia sua excitauiimus.

19) L. V. c. 6.

RONEM<sup>20</sup> in Catilinam inuehentem. Hanc tetram immanemque belluam vinclam auspiciis, alligatam more maiorum, confrietam Legum sacratarum catenis soluit subito Legum Consul; et denique apud CORNELIVM NEPOTEM<sup>21</sup>, qui sic de Attico: Honores non petiit, - - - quod neque peti more maiorum, neque capi possent conseruatis Legibus - - - neque retineri sine periculo. In veteri Plebiscito in Thermensium gratiam facto<sup>22</sup> declarat populus: Quae Leges, quodque Ius, quaeque consuetudo L. Marcio Sex. Iulio Cos. inter Ciues Romanos et Thermenses Maiores Pisidas fuit, eadem Leges, idemque Ius eademque consuetudo inter Ciues Romanos et Thermenses Maiores Pisidas esto.

SAEPE etiam Leges Moresque maiorum coniunguntur, cuiusmodi usus exempla reperiuntur in CICERONE<sup>23</sup>, LIVIO<sup>24</sup>, GELLI<sup>25</sup>, aliisque. Ad vetusam hanc dicendi rationem alludit SYMMACHVS<sup>26</sup> in Caesaris ephemeride, Origines situs, pugnas, et quicquid fuit in moribus, aut Legibus Galliarum contenta fuisse memorans. Morem praeterea Maiorum diserte ut Legem valuisse CICERO<sup>27</sup> ait, et multa more constituta esse, quae Legibus XII. Tabularum non comprehendebantur, ex eodem<sup>28</sup> discimus.

MORIBVS ergo non minus quam Legibus addiscendis studebant ICti, quod exemplo Labonis conflat, quem GELLIUS<sup>29</sup> Legum atque morum P. R. Iurisque ciuilis apprime doctum fuisse refert. At contra CICERO<sup>30</sup> Ch. Carbonem Oratorem ius ciuile plane nesciuisse indicatur eum ignorum Legum, haesitantem-

que  
20) Pro Sextio c. 7.

21) In Attico c. 6.

22) Apud SIGONIVM de Ant. Iure Prou. L. I. c. 10.

23) De Oratore L. I. 10.

24) L. V. c. 6, in fine.

25) Noct. Att. L. VII. c. 18. 19.

26) L. IV. ep. 18. Ed. Parei.

27) L. II. de Legibus 10.

28) L. II. de Legibus 24.

29) L. XIII. c. 12.

30) De Oratore L. I. 10.

31) L. II. de Legibus 24.

32) MACROBIUS Saturnal. L. I. c. 4.

33) GELLIUS L. XI. c. 1.

34) GELLIUS L. XIV. c. 7.

35) CICERO pro Rofcio Amerino 36.

36) GELLIUS L. XIII. c. 12.

37) CICERO Ep. ad famil. L. X. ep. 12.

38) VAL. MAX. L. V. c. 1. n. 1.

39) PAVLVS in l. 12. D. §. 2. de Iudiciis.

40) VLPIANVS L. I. D. de Donat. inter Virum et Vxorem.

*que in maiorum institutis, rudemque iuris ciuilis fuisse perhibet.*

IN tantum autem valuit Ius morum, vt illo innumera, quae Legibus non erant descripta, tam quoad sacra et publicum ciuitatis statum, magistratuumque potestates, quam quoad priuatorum commoda et iura continerentur. E quibus pauca saltim vt dictis fides accedat, adducam, reliquorum omnium pertractatione in aliud tempus dilata. Sunt vero in iis, *fusus ut indicatur, si quid ludorum, dominusque funeralis utatur accenso atque lictoribus<sup>31</sup>; Ut ferias concipiatur Praetor, quae appellantur Compitalia<sup>32</sup>; Ut in multis dicendis ouium bounque mentio fiat, ovesque masculino genere effeantur<sup>33</sup>; Ut nonnisi per certos magistratus Senatus habeatur, nec nisi in loco per Augures constituto senatus consulum fiat<sup>34</sup>; Ut in minimis rebus homines amplissimi testimoniorum de sua re non dicant<sup>35</sup>; Ut Tribuni plebis habeant prebensionem, non cocationem<sup>36</sup>; Ut Praetores Consulibus absentibus consulare munus suslineant<sup>37</sup>; Ut Regibus externis Romanam venientibus Quaestor obuiam proficiscatur<sup>38</sup>; Ut serui et feminae ciuilibus muneribus non fungantur<sup>39</sup>; Ut inter Virum et vxorem donationes ne valeant<sup>40</sup>; Ut detur tutor mulieri pupilloue, qui cum tutele suo lege aur legitimo iudicio agere vult<sup>41</sup>; Ut furioso prodigoque bonis interdicatur<sup>42</sup>; et multa alia, quae praetermitto.*

AD haec, quae longe maxima vis est, effectusque plane insignis iuris morum, nouum ius mores, contra quam in Legibus scriptis obtinebat, instituisse atque adeo Legibus derogasse scri-

ptis

41) VLPIANVS T. XI. §. 24.

42) IVL. PAVLVS Sentent. Rec. L. III. T. IV. §. 7. Duo circa furiosorum prodigorumque tutelam videntur Iure Romano statuta esse; vt bonis (a Praetore) interdicatur; vtque sint ii, quibus interdictum bonis erat, in curacione agnatorum. Prius e moribus est, vt Paulus docet; Alterum e Lege XII. tabularum, vt fragmentis Legis illius patet, et Vlpianus T. XII. §. 2. testatur. At inquit, Vlpianus in L. I. D. de Curat. furios. et

ali. bonorum interdictionem e Legi XII. Tabularum derivat, et id ab initio moribus introductum tradit. Sed ex antea excitato Vlpiani loco, quo modo sibi confit, intelligi potest. Non proprie bonis interdictur L. XII. Tabularum, sed haec, postquam bonis interdictum est, quod moribus siebat a magistratu, curatorem constituit agnatum. Haec qui se parauerit, eum nihil offendit contraria in speciem Vlpiani et Pauli loca.

ptis videntur. Qua de re e PLAVTI Trinumno<sup>43</sup> conjecturam capere licet, quanquam me non fugiat, festiuum Comicum urbane iocari. Inducitur Seruus nequam Stafimus nomine, qui Seni Charmidi facturus fucum, vehementer conqueritur de facculi sui iniuritate, malosque mores perstringit, more perditis hominibus familiari, qui Curios simulant et Bachanalia viuunt. Fingit autem moribus omnia licite fieri, quae legibus erant prohibita, redatasque a moribus in potestatem esse Leges. Adscribam ipsa verba:

S T . Nam nunc mores nihil faciunt, quod licet, nisi quod lubet  
 Ambitio iam more sancta est, libera'st a legibus :  
 Scuta iacere , fugereque hostes , more habent licentiam  
 Petere honorem pro flagitio more fit ; - - - - -  
 Strenuos praeterire more fit . - - - - -  
 Mores Leges perduxerunt iam in potestatem suam,  
 Magis queis sunt obnoxii , quam parentes liberis.  
 Eae miserae etiam ad parietem sunt fixae clavis ferreis ,  
 Vbi malos mores affigi nimis fuerat aequius.

I N quibus aut fallor vehementer, aut tangitur opinio recepta neminius non cognita, qua per mores a Legum constitutis recedi licite exsistimabatur. Parum enim, meo quidem iudicio salis habituae fuissent querelae toties repetitae de morum potestate, deque eorum in Leges imperio, nisi iam ante conflitisset, tantam esse morum iuri vim, ut Legum auctoritatem imminuere possit. Est præterea in LIVIO<sup>44</sup> locus maxime memorabilis, in quo expli-  
 cando haesere Clarissimi Interpretes CREVIERIVS, DVCKERVS et

DRA-

43) Actu IV. Sc. 3. v. 25.

44) L. XXVI. c. 2.

45) DVCKERVS Vir celeberrimus non recte cepit sensum horum verborum: Tribuni plebis appellari. Non sequitur vt Fulvius negaret post anquitionem bi-

nam pecuniae, licere tribuno capitis an-  
 quirere, sed prouocabat ab uno Tribu-  
 no ad Collegium Tribunorum Fulvius,  
 rogabatque, vt illi decreto aut interces-  
 sione collegam a suo proposito desistere  
 iuberent, quod saepe factum.

DE MORIBVS MAIORVM. XXIII

DRACKENBVRGIUS. Inquit LIVIVS: *Quum tribunus bis pecunia anquisiſiſſet, tertio capitī ſe anquirere diceret; tribuni plebiſ appellați, collegae negarunt, ſe in mora eſſe, quominus, quod ei MORE MAIORVM permifſum eſſet, ſeu LEGIBVS SEV MORIBVS MALLET, anquireret, quoad vel capitī vel pecuniae iudicafſet priuato.* Rem de qua agitur, et de qua quaeftio incidit, breuiter e LIVIO enarrabo. Cn. Fuluius Imperator ob amifſum in Apulia ſua culpa exercitum a Cn. Sempronio Blaefo Tribuno Plebiſ ad po- pulum accuſabatur, anquirebaturque in duabus prioribus accuſati- nibus pecunia. Quum vero in tertia accuſatione iurati multi dicerent fugae pauroſisque initium certiſſime ab ipſo Praetore ortum, concio ira accenſa ſuclamauit, capite anquirendum eſſe. Tum Sempronius capitī ſe anquirere dixit, et certamine orto, licet appella- tum<sup>45</sup> eſſet ad Tribunos, hi nihil minus affirmauerunt lice- re more maiorum tribuno ſeu Legibus ſeu morib⁹ vellet, an- quirere. Quid igitur ſibi volunt iſta: *More maiorum permif- ſum eſſt tribuno ſeu Legibus ſeu morib⁹ mallet, anquirere?* Ut mihi quidem videtur, facilis eſt responſio: Per mores<sup>46</sup> ni- ri- rum permifſa erat tribunis accuſantibus optio, vtrum in anqui- rendo Leges an mores ſequi vellent. Legibus licebat tribunis haut fecus, ac aliis magiſtratibus pecunia quaerere, ſed in mo- rem poſt Marci Coriolani damnationem abierat, vt Tribuni et- iam capitī anquirerent, vti expreſſe tradit DIONYSIVS<sup>47</sup>. Integrum vero erat tribunis, licet ab initio pecunia anquifiſiſ- ſent, poſtea capite quaerere, quod a CAROLO SIGONIO<sup>48</sup> exempliſ probari obſeruat DVCKERVS. In hac igitur Cn. Fuluii cauſa quum Leges tantum anquifiſionem pecunia permit- terent, maluit Morum iure vti Tribunus et capite anquirere<sup>49</sup>.

Defcen-

46) Contra NOOTIVM et alios, qui morem maiorum per Legem interpre- tantur, qua explicacione inductus DV- CKERV⁹ nescio in quibus haeret diſſi- cultatibus, infra c. V. diſputabo.

47) L. VII. p. 469. 470.

48) de Iudiciis L. III. 10.

49) Contrarium ſtatuit maniſteſto erro- re CL. GREVIERIVS putaque legibus capite, morib⁹ pecunia anquifiſum eſſe, derogaſſeque mores Legibus, ſed in miti- orem partem. Verum id promiſuum puto

D

Descendit vero haec eligendi libertas pariter ex Moribus. Interim haut male ex hoc loco colligitur, mores egressos nonnunquam esse Legum constitutiones. Sed quod maius est, Legem XII. Tabularum de debitoris corpore inter creditores diuidendo, qualemcumque illa effectum produxerit, *more publico* repudiatam esse legimus apud QVINTILIANVM<sup>50</sup>. Quid! ipsa illa supplicium sumendi ratio, quae *more maiorum* fieri dicebatur, nonne testatur Legibus per mores derogari potuisse? Quantum enim conjectura assequi valeo, supplicium moris maiorum in eo constitutum, ut necandus probe vapularet, virgisque ad neceim caederetur<sup>51</sup>. Qua poena ne afficerentur ciues Romani, vetabatur Legibus Vateria et Porcia. Atqui nihilominus frequentissime virgis caesi leguntur, quod proinde supplicium moribus infligi solitum fuisse et a verisimilitudine non abhorret, et ex ipsa supplicii moris maiorum appellatione concluditur. Denique ex fragmento Orationis Ciceroniana pro Cornelio<sup>52</sup> testimonium peti posse videtur de morum ad Leges infringendas potestate. *Quatuor omnino genera sunt Iudices*, inquit CICERO, *in quibus per Senatum more maiorum statuatur aliquid de legibus*, atque ea deinceps enumeraens pergit, *tertium est de Legum derogationibus*, quo de genere per saepe Senatus consulta sunt, ut nuper de ipsa Lege Calpurnia derogaretur. Ex hac vero Legum et Morum non raro inter se discrepantium confictione, id venit, ut in diffensionibus inter Senatum et Plebem, vtra pars Legibus se tueri nequiret, ea ad mores prouocaret, atque sic contrariae factionis postulationes elidere laboraret, cuiusmodi concertationum meminere LIVIVS<sup>53</sup>, et DIONYSIVS<sup>54</sup>.

puto fuisse, tam in mitiorem quam atrocioriem partem.

50) L. III. de Insit. Orat. c. 7.

51) Non me latet, quam diuerfimode de hac moris maiorum poena sentiant doctissimi homines. Sed eorum opinio- bus excutiendis iam non immorabor, ea opera functurus; cum Iurium e moribus ortorum indicem dabo. Loca, in

quibus supplicii moris maiorum mentio fit, videri possunt apud PET. FABRVM Semest L. II. c. 7. et IO. FRANC. RAMOS de Poenis Parricid. v. 55.

52) T. III. P. II. Orat. Cic. Ed. Graeu. p. 960.

53) L. II. c. 56. L. IX. c. 46.

54) L. XI. p. 731.

CAETERVM ab iis, quae hactenus de Iure morum fide priscorum Auctorum scripsimus, nihil diuersa tradunt Iurisconsulti Romani, quorum id circa testimonia, ne nostrae disputationi ponderis quicquam firmamentiuē desit, e libris Legum decerpta hic subiungere necesse putau. Morum igitur, seu quod idem est Consuetudinis ius, licet saepius Morum quam Consuetudinis nomine insigniatur, inter Romanos cultum obseruatumque fuisse, auctores sunt **VLPIANVS**, **IVLIANVS**, **PAVLVS**, **HERMOGENIANVS**, quorum verba in Digestis in titulo de LL. Senatus Consultis et longa consuetudine leguntur. In **VLPIANI** titulis primus inscriptus est *de Legibus et Moribus. MARTIANVS*<sup>55)</sup> Iuris consultus munieris significationem daturus, id esse scribit, *quod necessario obimus, Lege, more, imperio eius, qui iubendi habet potestatem.* **PAVLVS**<sup>56)</sup> in Sententia Recepis Iniuriarum *actio aut lege, aut more, aut mixto iure introducita est;* *Moribus quoies factum pro qualitate sui arbitrio judicis aestimatim congruentis poenae supplicio vindicatur.* Moribus receptis Ius vocatur a **PAVLO** L. XVII. ad Edictum<sup>57)</sup>. *Morem maiorum* appellant **PAPINIANVS**<sup>58)</sup>, **PAVLVS**<sup>59)</sup>, **VLPIANVS**<sup>60)</sup>. Quae Moribus tribuuntur iura, partim iam commemorau, partim recensebo alias.

55) in L. CCXIV. D. V. S.

59) L. 5. de Iurisdictione.

56) L. V. T. IV. §. 6. 7.

60) L. penult. §plus final. de I. et I.

57) L. XII. §. 1. 2. D. de Iudiciis.

L. II. §. 1. de his qui notantur infamia.

58) L. I. D. §. 1. de Offic. eius, cui

v. WILDVOGELII Programma de

mandata est Iuris.

More Maiorum.





## CAP. IV.

DE FORMVL A MORE  
MAIORVM.

**I**n eo fuimus toti praecedenti capite, vt morum iure vlos esse Romanos ostenderemus. Vocabantur hi mores vt plurimum *mores maiorum*. Sic apud PLAVTVM<sup>1</sup> legimus, nam hi *mores maiorum laudent*; et in CICERO<sup>2</sup> occurunt ista: *Quid leges veteres, moresque maiorum; et apud GELLIVM<sup>3</sup> in decreto Tribunorum Plebis memoratur, a Scipione Africano prouocatum esse ad morem maiorum.* Alia loca iam dedimus supra. Nata inde formula *more maiorum*, qua ius illud respiciebatur, vtramque in veterum scriptis facit paginam. Quocirca nostrorum partium esse videtur, vt in illustranda ea paullo accuratius versemur, praescertim quia eadem in doctissimo de formulis P. Romani solemnibus opere, nescio quibus de cauſis penitus omisit BARNABAS BRISSONIVS. Infinitus est vſus vocabuli *moris* in variis dicendi modis, atque significat nonnunquam *ius vel fas*, id quod decet, vti apud LIVIVM<sup>4</sup> Scaptius dicit, *se mirari, quonam more Ardeates Aricini agrum se a populo Romano interpreturos sperent*, et in his malo more, sine more<sup>5</sup>, non more neque ordine

1) Triummo Act. II. Sc. 2. v. 14.

2) de Oratore L. I. §. 10.

3) L. VII. 19.

4) L. III. c. 71.

5) L. XIX. D. de Negot. gest. et. 8.  
D. quod metus cauſa. VIRGIL. Aeneid.  
L.VIII. v. 635. STEWECHIVS in Com-  
mentario in Vegetum. p. 157.

6) SVETONIVS, Aug. c. 35.

7) Georg. L. I. v. 245.

8) L. VII. c. 10.

9) V. G R O N O V I S Diatribe Stat.  
c. 25. p. 149.

10) C. 108. Satyr.

11) de Institut. Orat. L. VIII. c. 3.

ordine<sup>6</sup> et in aliis. Sed frequentius adhibetur, ut idem notet ac *instar, ad exemplum, in similitudinem*: Pauca exempla, quia res notior est, subiiciam. Succurrunt vero nunc illa VIRGILII<sup>7</sup>, *in morem fluminis*; LIVI<sup>8</sup>, *speculi magis more, quam lege belli*; *more Palaestrae* apud HORATIVM, LVCANVM et STATIVM<sup>9</sup>. *Patrio more et Caduceatoris more* in PETRONIO<sup>10</sup>. *Romani pudoris more* apud QVINTILIANVM<sup>11</sup>. *Virginum Vestalium more* apud SENECA<sup>12</sup>. Similiter HORATIVS:

*Quid? ait, cum est Lucilius ausus*

*Primus in hunc operis componere carmina morem.*

hoc est, eum LVCILIVS primus instar praesentis operis Satyram carmina componere coepit. Intelligetur, opinor ab unoquoque, quid sibi velit HORATIVS, quidque sit mos operis, cui explicando se imparem fatetur Doctissimus MARKLANDVS in Epistola Critica ad FRANCISCVM HARE<sup>13</sup>, nec opus videbitur emendatione, qua *morem in formam mutare* iubet. Mos maiorum autem cum dicitur, vel viuierim pro veterum institutis et disciplina viuendique ratione sumitur et more maiorum idem valere videtur, ac exemplo ad imitationem antiquorum, quia nimis vetusta maximopere extollebantur, vnde de Attico CORNELIVS NEPOS<sup>14</sup> *moris maiorum suminus imitator fuit* et Carus Imperator vocatur *Vir morum veterum*<sup>15</sup>, et in Pertinacis ponitur laudibus, eum *fuisse moribus antiquissimis*<sup>16</sup>; vel intelligitur more maiorum solemnis Populi Romani mos a maioribus traditus, qui tanquam lex seruabatur, et ex quo tam in publico quam priuato iure ordinando plurima depromebantur. Priori significatu, credo, *more maiorum* Pisoni amicitiam renunciasse legitur Caligula<sup>17</sup>, et *more*

D 3 ma-

12) de Oto Sap. c. 29.

13) Sermonum. L. II. l. v. 62. 63.

14) p. 9. seqq. Caussan, cur locum corrigerem oporteat, hanc interferat, quia significatus ille *res moris*, quo haut raro pro indole, qualitate, ingenio, natura rei ponitur, huic loco non conueniat; atque concedi potest, illo significatum non

convenire. Sed commodum sensum praebet, si alius significatus aequo usitatus substituatur, sicuti a nobis factum est.

15) c. 18.

16) VOPISCVS in Caro. c. 5.

17) AVREL. VICTOR de Cael. c. 18.

18) SVETONIVS, Cal. c. 3.

XXVIII DE MORIBVS MAIORVM.

maiorum prensare Consulatum dicit CICERO<sup>19</sup> pro eo, ac sine fisco et fallaciis, honestis artibus petere. Pari ratione contra morum maiorum fuisse, ut liberi scholas Rhetorum latinorum itarent, Romani Censores Cn. DOMITIVS AHENOBARBUS et L. LICINIVS CRASSVS edicunt<sup>20</sup>. Inde factum, ut a quibusdam prouerbii loco usurparetur, vti a SYMMACHO<sup>21</sup>: Vis, ut epistolis nostris more maiorum nuda nomina praferantur, et ab APULEIO<sup>22</sup> more maiorum iudicium reddere, quod idem esse videtur, ac more iudiciorum, more solito, quae formulae nonnunquam in Imperatorum Rescriptis occurunt, obseruante BARNABA BRISONIO<sup>23</sup>. Posteriori sensu more maiorum supplicium sumi<sup>24</sup>; more maiorum milites legi<sup>25</sup>; more maiorum feriae concipi<sup>26</sup>; more maiorum multæ dici<sup>27</sup>; more maiorum matronæ prostratae pudicitiae coereri<sup>28</sup>, et alia id genus leguntur. In libris Iuris aliquoties formula illa reperitur. Maiores dicuntur Latinis generali nomine omnes ii, qui nos viuendo anteiuerere, adeoque non solum illi, qui vltra tritauum sunt, et speciale nomen non habent, sed etiam infra tritauum, nec vnius saltim eiusdemque nobiscum familliae, sed cuncti, qui supra nos sunt in eodem populo; de cuius appellationis potestate accurate satis actum est in Opusculis de Latinitate veterum ICtorum a CAROLO DUCKERO collectis<sup>29</sup>. Maiores deinceps aliquando vocantur eiusdem sectæ antiquiores professores vel auctores, vti apud APULEIVM<sup>30</sup> et alios. Graecis fimi-

19) Ep. ad Atticum L. I. ep. 1.

20) SVETONIVS de Clar.Rhetor.c.1. GELLIUS Noet. Att.L.XV. c.2. Confet ea, quas apud CICERONEM L. III. de Oratore c.24. Crassus pro excusando suo editio disputat. 21) L. III. Ep. 44.

22) Metamorphos. L. X. p. 241.

23) de Formulis L. III. 28.

24) CAESAR. L. VI. de B. G. c. 44. et in aliis locis.

25) SALLVSTIVS in Bello Iugurthino. c. 91. GELLIUS L. XVI. c. 10.

26) MACROBIVS Saturn. L. I. c. 4. GELLIUS L. X. c. 24.

27) GELLIUS L. XI. c. 1. Errat vero AVERANIUS, qui in Interpret. Iur. L. I. c. 4. p. 36. formulam more maiorum eo detorquet, ac si magistratus urbani ius multæ dictioonis more maiorum habuissent.

28) SVETONIVS Tiberio c. 35.

29) p. 213. sequ. Conseratur BARNA BRISSONIVS de Verborum signific. L. XL p. 37L.

30) Apologiae p. 297. Conf. ELEMENHORSTIVM in Indice voc. Maiores.

similiter προγόνοι sunt, superiori aetate, qui vixerunt. De quo licet nemo fortassis dubitet, iuuabit tamen illustrationis caussa ex antiquis Eleuthernaeorum<sup>31</sup>, Arcadum<sup>32</sup>, Latiorum<sup>33</sup> et Saxiorum<sup>34</sup> monumentis repetere, formulam qua Teii Φλοι καὶ συγγενεῖς διὰ προγόνων appellantur. In MUSAEO<sup>35</sup> Hero dicitur πρόγονος ἀπὸ προγόνων habitasse, quod quomodo capi debeat, non a deo expeditum creditur. Eruditissimus SCHRADERVS in Animaduercionibus ad Musaeum c. IV. fuse in verum sensum inquirit, vertendumque putat cum WHITFORDO Turrim aitam. Eadem fere ratione apud DIODORVM<sup>36</sup> Phoenices inclariuisse leguntur διὰ τὴν ἐν προγόνων ἐν τοῖς ναυτικοῖς ἔργοις ἐμπειρίαν. Sic et in Inscriptione latina<sup>37</sup> occurrit: *Patronus longe a maioribus originalis; et apud CICERONEM<sup>38</sup>: Postea, si facultas erit, se aut consanguineum, aut iam a maioribus in primis amicum esse demonstrabit.* Sed redeo ad formulam *more maiorum*, pro qua nonnunquam *more patrum*<sup>39</sup>, *more veterum*<sup>40</sup> dici consuevit. In Basilicis<sup>41</sup> vertitur per τὸ ἑδος τῶν πατέρων. Graeci alias κατὰ τὸ πατριοῦ sive πατέρων ἑδος<sup>42</sup>, et frequenter κατὰ τὸ πατρία<sup>43</sup>. Verum significationis τῶν πατέρων, sive πατέρων,<sup>44</sup> nam et haec simili sensu occurtere memini, maior videtur esse ambitus ac quidem moris maiorum.

- 31) CHISHVLL Antiquit. Asiat. p. 109. BARBEYRAC Histoire des Anciens Traites P. I. a. 403.  
 32) CHISHVLL p. II. 5. BARBEYRAC. P. I. a. 408.  
 33) CHISHVLL p. 122.  
 34) CHISHVLL p. II. 5. BARBEYRAC P. I. a. 406.  
 35) V. 32.  
 36) L. XI. 251.  
 37) apud GRUTERVM CCCCLIX. I.  
 38) De Inventione L. II. 107.  
 39) VIRGILIVS, Georg. L. III. v. 177.

- 40) CICERO de Diuinat. L. I. 46.  
 41) L. II. Basia. T. I. II.  
 42) AELIANVS Var. Hist. L. VII.  
 43) ATHENAEVS L. IV. c. 9. p. 141.  
 44) DIO CASSIUS L. XXXVII.  
 45) A. ATHENAEVS L. IV. cap. 21.  
 P. 171.  
 Idem L. VI. c. 6. p. 234.  
 46) DIO CASSIUS L. XXXXIII.  
 47) LVCIANVS Dial. mortuor. in Colloquio Alexandri, Annib. Min. et Scip. p. m. 248. T. I. GREGORIVS NAZIANZENVS. Carnin. II. v. 17.  
 in TOLLII Insign. Itin. Ital. p. 74.



## CAPVT



## CAPVT V.

AMBITVS MORIS MAIORVM IVSTA  
DESCRIPTIO: ET DE IVDICIIS DOCTIS-  
SIMORVM HOMINVM DE EADEM RE,  
DISCEPTATIO.

E <sup>st</sup> si iam planissime constare arbitrer, quid sint mores  
Maiorum, quos vt Leges valuisse in Romana Republi-  
ca probau; tamen quia disputatio instituenda est,  
vt opinione de Moribus Maiorum, quae cum nostra  
non conueniunt, neutiquam ferendas esse, nemini non manife-  
stum fiat, necesse existimau breuissime de mea sententia praefari,  
et Moris Maiorum verum intellectum aperire. Quo consequear,  
vt omni incertitudine, de controueriae materia, sublata, proti-  
nus me accingere possim ad commemorandas examinandasque a-  
liorum sententias. Aio igitur Mores Maiorum esse ius illud Po-  
puli Romani, quod ex diurna similium obseruationum ac insi-  
tutorum usurpatione ortum erat, quodque tacito consensu populi  
sine lege custodiebatur, et cuius tam in sacrorum publicaque rei  
administratione, quam in priuatorum negotiis ac commodis ordi-  
nandis multa erat auctoritas. Fuit hoc ergo proprium moribus,  
vt vetusto usu et perpetua obseruatione voluntaria vim nancise-  
rentur ac valorem. Sed vndenam computandum est tempus, vt  
vetustate confirmati esse mores dici possent? Num Mores Maio-  
rum istae solummodo consuetudines sunt vocatae, quibus sub  
Regibus usus est populus? An forte *Vetusas* et *Maiores* dicun-  
tur de illa aetate, quae inter Regisugium et conditas XII. Tabulas  
intercessit: Vel intelligine debent per Mores Maiorum illae con-  
sue-

suetudines et instituta, quae post Leges Decemuirales in eam supplementum introduci coepere? Verum dissoluetur facile omnis dubitatio, si consideremus, non intra paruum certorum annorum aut seculorum spatium stetisse in Romana gente morum condendorum ius ac licentiam; quin potius, quamdiu ampliori libertatis usura fruebatur populus, tamdiu consuetudinem receptarum, morisque maiorum fuisse studiosissimum, capite III. abunde demonstravi. Recte vero inferre mihi inde videor, esse illum Moris Maiorum significatum, ut complectetur suo ambitu Romanorum consuetudines ac mores, quounque tempore illi emerserint. Elicio idem ex ipsa vocabuli *Maiorum* notione. Maiores enim sunt *aetate superiores, antiqui*; ut adeo *Mos Maiorum* dicatur pro More antiquo, recepto, olim introducto. Nouimus etiam e quorundam Morum initii, diuersis eosdem temporibus esse conditos: Sic *Mos Porfena Regis* bona in publicis bonorum distractionibus primo loco proclamandi, a Porfena Regis ab urbe discessu inualuit<sup>1</sup>. Amplius post Marcii Coriolani damnationem, in quo primum id sibi sumiserant tribuni, ut de patricii hominis capite anquirent, retentus est a tribunis mos capite anquirendi, cum secundum Leges nonnisi pecuniae anquirere liceret<sup>2</sup>. Quod denique dicuntur *Praetores*<sup>3</sup> *More Maiorum* consulare munus sustinuisse, id a Praetorum institutorum tempore originem cepit. Appellari igitur confuevit *Mos Maiorum* omnis consuetudo sive serius sive posterius recepta, dummodo vetustatis saltim usu, tacitoque consensu, sine lege inualuerit. Abhorret enim a moris, consuetudinise natura, ut publica et diserta populi constitutione confirmetur, quo facto lex fit. Sed nituntur Mores sola vtentium auctoritate, quod *CICERO*<sup>4</sup>, Auctorisque Rheticorum ad Herennium<sup>5</sup>, et ipsis *VLPIANI*<sup>6</sup> definitionibus

1) In Poplicola p. 107. Ed. Franeof.

4) De Invent. L. II. 22.

2) V. supra c. III.

5) L. II. 13.

3) CICERO Epist. ad famil. L. XIII.

6) Tit. I. §. 4.

ep. 10.

E

## XXXII DE MORIBVS MAIORVM.

bus confirmatur. Audiamus CICERONEM: *Consuetudinis autem Ius esse putatur id, quod voluntate omnium, sine lege vetustas comprobarit.* Quemadmodum vero variae Iuris scripti commemorantur formae, ita Consuetudinem quoque suas habere species comperi. Qua de re praefato sunt luculentissima testimonia. Subministrat ea CICERO L. II. de Inventione<sup>7</sup>, in quo bis in similem fere sententiam loquitur. Ait ille: *Consuetudinis autem Ius esse putatur id, quod Voluntate omnium sine Lege vetustas comprobarit:* In ea autem iura sunt quaedam ipsa iam certa propter vetustatem: quo in genere et alia sunt multa, et eorum multo maxima pars, quae Praetores edicere consueverunt: *Quaedam autem genera iuris iam certa consuetudine facta sunt.* Quod genus pactum, par, iudicatum. Pactum est, quod inter aliquos conuenit, quod iam ita iustum putatur, ut iuri praestare dicatur. Par, quod in omnes aequabile est. Iudicatum, de quo iam ante sententia alicuius aut aliorum constitutum est. Et rursus: *Consuetudine Ius est, quod aut leviter a natura tractum aluit et maius fecit vius, ut religionem:* aut si quid eorum, quae ante diximus, ab natura profectum maius factum propter consuetudinem videmus, aut quod in morem vetustas vulgi approbatione perduxit: *quod genus, pactum par, iudicatum. Pactum est, quod inter aliquos conuenit.* Par, quod in omnes aequabile est. Iudicatum, de quo aliquius, aut aliorum iam sententiis constitutum est. Si recte igitur mentem Ciceronis asscussum, duas is summas Consuetudinis partes constituit, quarum altera complectitur iura, quae ex ipsa natura orta et in maius aucta ab antiquissimis inde temporibus viguere, adeoque iam propter vetustatem certa sunt, cuiusmodi sunt religio et plurima alia in Praetorum Edictis proponi solet: altera pars continet ea iuris genera, quae pariter a natura profecta sensim vulgi assensu recepta et aucta sunt, certitudinemque obtinere comprobantium auctoritate, qualia dicuntur esse Pactum, Par, Iudicatum. Sunt sane hi CICERONIS loci

ad

7) c. 22. et 54. Addi meretur alter CICERONIS locus e Partit. Orat. 37.

8) de Natura Deorum L. III. 17.  
9) L. II. 13.

DE MORIBVS MAIORVM. XXXIII

ad fines inter Iura e lege oriunda et illa, quae in consuetudine sunt, regundos longe accommodissimi: quare succinctis eosdem annotatiunculis illustrare non erit infructuosum. Ad iura Morum primae classis refertur Religio, atque id quidem confirmatur ipso vocabuli moris significatu, quippe quod **VARRONE** auctore institutum patrium ad caerimonias religionemque deorum pertinens designat. Locum supra **E MACROBIO** addux. Erant pauca eo spectantia in Pontificum libris conscripta, sed reliqua erant in *More Maiorum*. Hinc **CICERO** <sup>3</sup> *Docebo*, inquit, *meliora me didicisse de colendis diis immortalibus, iure Pontificio et Maiorum more, capedunculis iis, quas Numa nobis reliquit.* Deinde Iuris Praetorii maxima pars ex illo genere fuit. En igitur fontem integerrimum reclusum, e quo Ius haustum in sua edicta transsumfere Praetores: Ex quo cum sua deriuarent, non est quod criminis ipsis vertatur, reperi in Edictis nonnulla, quae tollendarum mutandarumue Legum priorum, antiquiorisque iuris causa inserta videantur. Antiquauerat enim illa, et variauerat usus mosque maiorum. Iura Consuetudinis alterius Classis consistunt in *Pado*, *Pari*, *Iudicato*. Pactum **CICERO** definit: *Quod inter aliquos conuenit: Respicit igitur eiusmodi pactum, quod sine Lege ex solo conuentu conservatur.* Namque datur etiam Pactum Legibus obseruandum, vii ex Auctore Rheticorum ad Herennium <sup>9</sup> discimus. *Par* dicitur esse id, *quod in omnes aequabile est* <sup>10</sup>. Patet idem esse cum illo iure, cuius apud Auctorem Rheticorum laudatum sit mentio, *quodque ex aequo et bono constat, et ad veritatem et communem utilitatem videtur pertinere, quo in genere esse memorat: Ut maior annis LX. et cui morbus causa est, cognitorem det; et ex quo vel nouum ius constitui conuenire ait ex tempore et hominis dignitate.* Supereft iudicatum, quod ita describitur, *de quo alicuius, aut aliquorum iam sententiis constitutum est.* Sed quid! Estne descriminis

E 2

non-

<sup>10</sup>) Conf. MARQVARDI FREHERI Commentar. de Acuitate in T. IV. Thes. Ott. p. 371.

XXXIV DE MORIBVS MAIORVM.

nonnihil inter iudicatum, remue iudicatam? An iudicatum forte pro re iudicata dixit CICERO? Potest secus videri. Nam alibi<sup>11)</sup> rem iudicatam CICERO inter iuris scripti partes diminuerat. Dicit enim Ius ciuile consistere in *Legibus*, *Senatus consultis*, *rebus iudicatis*, *Iurisperitorum auctoritate*, *editiis magistratum*: Hactenus species iuris scripti; adiicit demum morem et aequitatem. At iudicatum est genus iuris consuetudine certi. Quomodo igitur iudicatum hoc in loco capere conueniet. Id nemo melius nos docebit ipso CICERONE. Fusे enim is alicubi<sup>12)</sup> et diligenter iudicati notionem explicat, cum dicit: *Iudicatum est, res assensione, aut auctoritate, aut iudicio alicuius, aut aliquorum comprobata.* Id tribus in generibus spectatur, religioſo, communi, approbatō. Religiosum est, quod omnes vulgo probarunt, et secuti sunt, huiusmodi: Ut maiori bus natu affurgatur, ut supplicum misereatur. Approbatum est, quod homines, cum dubium esset, quale haberi oportet, sua constituerunt auctoritate: velut Grachi Patris factum, quem Populus Romanus ob id, quod insciente Collega in censura nihil egisset, post censuram Consulem fecit. Ex hoc loco colligi posse videatur, dari duplicitis generis iudicatum, aliud ex Legibus, cuiusmodi est religiosum, quodque nil abit a re iudicata, si iurati per iudices explicandi sunt; aliud ex consuetudine, quale est communе et approbatum: atque hoc postremum genus optime congruit cum instituto. Loquitur de Iudicato ex Legibus Auctor Reticum ad Herennium<sup>13)</sup>: *Iudicatum est id, de quo sententia lata est aut decretum interpositum.* Ea saepe diuersa sunt, vt aliud alii iudici aut Praetori aut Consuli aut tribuno plebis placitum sit: et sit, vt de eadem re saepius alijs aliud decreuerit, aut iudicauerit; quod genus M. Drusus Praetor urbanus, quod cum herede mandati ageretur, iudicium reddidit, S. Iulius non reddidit. Item C. Caelius Iudex absoluīt iniuriarum eum, qui Luciliū Poëtam in

11) Top. 5

12) de Inuentione L. I. 30.

13) L. II. 13.

14) Parerg. L. IV. c. 2f.

15) Rer. Quotid. L. V. c. 3.

16) Interpret. Legis XII, Tab. c. 30.

*in scena nominarim laeserat: P. Mucius eum, qui L. Accium Postam nominauerat, condemnauit. Interim vel ex hoc loco eluēsit, etiam eiusmodi iudicatum nonnisi consuetudine in usum deduci, et certum ius constituere. Tantum de Partibus Consuetudinis seu moris maiorum.*

NUNC de aliorum doctissimorum hominum, qui de Moribus Maiorum scripsere, opinionibus dispiciamus. Ac mecum sentire, moremque maiorum per Consuetudinis Ius explicare deprehendi haut paucos, eosdemque antiqui iuris Romanorum scientissimos viros, in quibus sunt, SIGONIVS, ALCIATVS, FERRANDVS ADDVENTIS, GVIL. BVDAEVS. Sed reperti pariter sunt, qui diuersum significatum tribuunt Mori Maiorum. Ut enim obiter commemorem ab ACCVRSIO de Moribus Lacedaemoniorum accipi, qua in re falli, eiusdemque sententiam iam pridem explosam esse ALCIATVS<sup>14</sup> et FORNERIVS<sup>15</sup> testantur; tum de Legibus XII. Tabularum capit THEOD. MARCILIVS<sup>16</sup> et de Legibus veteribus generatim NOODTIVS<sup>17</sup>. Sed nullo fundamento nititur MARCILII sententia. Cum apud CICERONE<sup>18</sup> et LIVIVM<sup>19</sup> reperisset Maiores mulieribus propter infirmitatem consilii tutores praeposuisse, inde recte sibi videtur suspicari, latum ea de re esse a Decemuiris. Quasi vbiunque Maiorum iniicitur mentio, ibi semper Decemuiri sint intelligendi. Sed grauiora fortassis NOODTIVS adducit pondera rationum, cur a MODESTINO<sup>20</sup> per Morem maiorum non Consuetudinem sed Leges intelligi oportet. Prouocat autem primo ad SERVII locum supra c. I. a nobis allatum, vbi Leges etiam mores dici, non dubium esse affirmatur. Verum licet concedam, mores generaliori significatu pro norma viuendi, communis ciuitatis populique assensu recepta dici, adeoque moribus tam leges, quam Consuetudinis Ius intelligi posse,

E 3

17) Probabil. Iur. Civ. L. I. c. II.

20) in L. IX. D. ad L. Pompeiam de

18) pro Murena c. 12.

Parricidiis.

19) L. XXXIV. c. 2.

## XXXVI DE MORIBVS MAIORVM.

posse, quis tamen patietur sibi persuaderi, I<sup>C</sup>TUM M<sup>O</sup>D<sup>E</sup>S T I N V M ostensurum, quonam e Iure descendat supplicium parricidii, tam vago tamque incerti significatus nomine vsum esse, vt Leges ne illo designentur, an consuetudo non possit non vehementer dubitari? Aut enim *Mos maiorum* vbique accipiens foret pro Legibus, quo nil absurdius posset statui, aut hoc saltim in loco sic intelligi debet. Sed quomodo hoc N O O D T I O innotescere potuit? Nam plane aliena est ab hac causa argumentatio illius, fieri non posse, vt quod prius consuetudine inualuerit, id Lege posteriore sit potentius. Versatur quippe in illa opinione, poenam parricidii, quae Moris Maiorum dicitur, esse culleum, eumque culleum nisi Lege Cornelia et Pompeia receptum non potuisse perdurare ad Hadrianum. Vnde hanc dicit conclusionem, Motrem Maiorum certissime vocari Leges Corneliam et Pompeiam, quia si per Consuetudinem explicetur, sequeretur, vt anterior consuetudo sit potentior legibus postea latis. Sed quid impedit, quo minus supplicium cullei etiam moris maiorum, seu consuetudinis appellari possit, licet legibus Corneliam et Pompeiam retentum sit. Poteſt enim e Moribus Maiorum originem traxisse cullei poena, sub Regibus nempe iam vſitata. Neque de modo infligendi supplicii in memoratis legibus praeſcriptum quicquam esse videtur, certe nihil eiusmodi exſculpi potest e Iurisconsultorum fragmentis, quae Legis memoriam feruant. Sed definitum est Lege Pompeia, in quas personas parricidii crimen committatur, sanxitque Legislator, vt poena Legis Corneliae de Sicariis afficerentur. Poenam hanc culleum esse coniiciunt interpretes: Recente vel minus, parum liquet. Silent enim Iurisconsulti. Quae mihi fedeat sententia circa Moris Maiorum supplicium supra indicaui. Restat, vt reliqua N O O D T I I argumenta expendam. Quae tamen priori longe infirmiora sunt. In medium enim afferit locum Liuii<sup>21</sup>, vbi Tribunus More Maiorum permisum esse tribunis

21) L. XXVI. c. 3.

22) Metamorph. L. X. p. 241. Ed. Elmenh.

## DE MORIBVS MAIORVM. XXXVII

bunis contendit seu legibus seu moribus malling, anquirere. Hic certe more maiorum non idem significat ac Legibus. Nam Legibus nonnisi pecuniae anquirere licebat, more contra fieri coepit, Patriciis nec quicquam reluctantibus, vt tribuni etiam capite anquirerent. Ergo mos maiorum non potest esse positus pro Legibus, in quibus contrarium erat statutum. Interpretati sumus hunc locum in capite III. nostrae dissertationis. Tertius locus, APULEII<sup>23</sup>, a NOODTIO productus nihil probat. Rite et more maiorum iudicium reddere, quae loquendi ratio ibidem occurrit, idem est ac solemni modo, vistato, ac congruo ordine iudicium reddere. Perperam itaque Morem Maiorum per Leges exponit NOODTIVS. At non illi primum in mentem venerat haec opinio. Nam ante NOODTIVM formulam *More Majorum* in Modestini fragmento per Leges iam explicauerant RAMOS<sup>24</sup>, et PETRVS FABER<sup>24</sup>, ac prior quidem per Legem Pompeiam, alter per Leges Valeriam et Porciam, quorum neutrum laudauit NOODTIVS. RAMOS duplici ex ratione istud interpretationum se improbare nequire caussatur, quia in libris Iuris mos non semel pro Lege usurpetur, et quia rei in priscis libris saepe more maiorum puniti legantur, cum poenae instituae fuerint Legibus. Vbi vero Leges, quas probationis loco adducit, inspexi, apparuit euidentissime, morem, sicuti oportebat, pro confitudine sumi, Legibusque opponi. Deinceps, quando More Maiorum puniri dicuntur fontes in criminibus, in quae Legibus poenae statutae, non sequitur, vt mos maiorum Leges denoter. Duo enim diuersa sunt, sanctio poenae Lege proposita, et modus sumendi supplicii More Maiorum introductus. Cum rei Maiestatis, Perduellionis, aliorumque criminum grauiorum, Moris Maiorum supplicio plecti memorantur, non eo respectu id dicitur, ac si e Legibus Maiestatis, Perduellionis ea poena proueniret, sed supplicium Moris Maiorum, seu ratio infligendae poe-

nae

23) de Poen. Parricid. p. 55.

24.) Semestr. L. II. c. 7.

XXXVIII DE MORIBVS MAIORVM.

nae e Vetustate consuetudineque Maiorum ortum trahens applicari coepit per Maiestatis et Perduellonis Leges, Criminum eiusmodi reis. Habemus exemplum in Lege Gabinia, in qua sanctum fuit, *ut qui cotiones clandestinas in urbe conflauisset, more maiorum capitali supplicio multaretur* <sup>25</sup>.

Q V O D ad PETRI FABRI sententiam attinet, ea paulo speciosior est. Putat nimirum, si quid contra Legem Valeriam fieret, hoc ipsum etiam contra Morem Maiorum fieri existimat esse, idque constare sibi persuadet e VALERIO MAXIMO <sup>26</sup>, qui refert de Senatu, eum milites qui Rheygium iniuria occuparunt, carceri inclusisse, atque M. FVRIO FLACCO Tribuno Plebis denunciante, ne in Ciues Romanos aduersus Morem Maiorum animaduerteret, nihil minus propositum executum esse. Sancitum autem erat Lege Valeria, ne ciuis, qui prouocasset, virgis, ultimoque suppicio afficeretur. At concessio, verba VALENTII sic accipienda esse, vt intenderit per suam denuntiationem Tribunus Plebis, ne Senatus contra prouocationem ab ipsis militibus interpositam in eos animaduerteret: Cur opus est dicere propter Legem Valeriam id a Tribuno vrgeri. Erat enim prouocationis Ius antiquius Lege vel Legibus Valerii. Et iustius contendit Tribunus contra Morem Maiorum fieri, si spreta prouocatione in ciues animaduerteretur, quam contra Legem Valeriam. Hac enim prouocationis auxilium saltim accuratius determinatum fuit. Quid si dicamus hanc laesi Moris Maiorum exprobrationem esse artificium, quo saepe vtebantur in altercationibus cum senatu Tribuni. Interim obiter obseruo, hos ipsos milites More Maiorum punitos tum fuisse, quod diserte prodit POLYBIUS <sup>27</sup>.

E A N D E M sententiam in qua refellenda occupati adhuc fuimus, de More Maiorum per Legem explicando, im-

25) PORCIUS LATRO Declarat. in Catilin. c. 19.

26) L. II. 7. 15.

27) Histor. L. I. 7.

## DE MORIBVS MAIORVM. XXXIX

improbasse quoque videtur v. CL. EV. OTTO<sup>28)</sup>. Com-  
memoratis enim eiusdem auctoribus ipse relictae illi nouam  
opinione de More Maiorum substituit, videlicet Mori Ma-  
iorum crebro tribui *ius*, quod ita erat ciuium Romanorum  
*proprium*, ut apud alias gentes, a quibus Leges acceperant,  
non reperiaretur. Ad quam coniecturam capiendam a FOR-  
NERIO<sup>29)</sup> haut dubie inductus fuit, quanquam vereor, ut  
mentem FORNERII recte ceperit. Existimat hic, *quoties*  
*Moribus a Iuris Auctoribus aliquid tribuatur, proprios, ut*  
*plurimum mores, non aliarum gentium intelligi:* In quo facile  
ipsi assentimus. Sed aegre admitti posse videtur CL. OTTONIS  
explicatio. Non modo enim idoneis testimoniis destituitur;  
sed vtebantur praeterea innumeris iuribus Romani sibi pro-  
priis, quae propterea nemo Mori Maiorum adscripserit. Po-  
terat contingere et plerumque fortassis contigit, ut iura in  
More Maiorum posita, essent simil propria Romanorum: sed  
nomen Moris Maiorum eadem inde esse fortita, nemo op-  
inor concedet.

Supereft FORNERII ipsius de More Maiorum iudici-  
um, quem per ius ex Iurisconsultorum responsis et inter-  
pretatione ortum explicat. Conuenit hac in re cum FOR-  
NERIO plurimis egregiis viris nominatim RAEVARDO<sup>30)</sup>,  
SCHVBARTHO<sup>31)</sup>, MERILLIO<sup>32)</sup>, et ipsi OTTONI<sup>33)</sup>:  
Sed graibus ea opinio premitur difficultatibus. Namque  
propriam Iuris Romani partem constituisse Interpretationem  
Prudentum, quod Ius Ciuale vocatum fuisset, docet POM-  
PONIVS<sup>34)</sup>. Et CICERO<sup>35)</sup> Iurisperitorum auctoritatem  
tanquam diuersam a More Iuris speciem laudat. PAPINIA-  
NVS

28) in Praefat T. IV. Thes. Iur. p. 13.

29) Rer. Quot. L. V. c. 3.

30) de Auctoritate Prud. c. 14. 16.

31) de Fatis Iurisprud. Rom. Exer-  
cit. II. 54. p. 297. f. et alibi.

32) Apud Dispunctor. MERIL-

L. II Dispunct. I. p. 14.

33) ad §. IX. Instit. de Iure Naturali.

34) L. II. D. de Orig. Iur. §. 5.

35) Top. V.

XL DE MORIBVS MAIORVM.

NVS<sup>36</sup> quoque partibus Iuris Ciuilis Auctoritatem Prudentum annumerat. Neque opus erat, vt interpretatio Prudentum, Moribus confirmaretur, cum statim, ex quo recepta esset, hoc est, ex quo vna e diuersis Iure consultorum sententiis probata esset, certa fieret. At sensim constituebatur Ius Morum, soloque vsu confirmabatur. Accedit de Iurisperitorum Auctoritate palam constare, eandemque ex ratione et suadente utilitate adhiberi, quod fecus erat in moribus, qui tacita ciuium approbatione condebantur, et quasi irrepre-  
re videbantur. Nuspiciam denique legitur in Iuris libris, idem Iuris, quod Moribus tribuitur, alio loco disertim Iurisprudentum Interpretationi et Responsis adscribi. Gratis igitur asseuerant docti Viri, illa loca, in quibus Moribus aliiquid receptum traditur, de Iurisprudentum auctoritate capienda esse. Quae cum ita sint, non eo inficias, me vehementer inclinare in OSII AVRELII<sup>37</sup> decisionem, qui responsa prudentum, si cum consuetudine conferantur, cum viro scripto reponenda esse statuit, vt pars eius intelligantur.

36) L. VII. princ. de Iust. et Iure.

37) Disputat. MERILLI Disputat. I. p. 15.



+


94 A 7372

ULB Halle  
001 681 94X

3







MORIBVS MAIORVM  
TANQVAM  
ANTIQVISSIMO ROMANI  
IVRIS FONTE  
DISSERTATIO  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
PERMISSV  
SVMMORVM  
IN VTRQVE IVRE  
HONORVM CAPESENDORVM  
ERGO  
PROPOSITA  
A  
IOANNE GOTHOFREDO  
RICHTERO

A. M.

LIPSIAE D. IX. APRIL. MDCCXXXIX.

EXCVDEBAT.  
BERNH. CHRISTOPH. BREITKOPF.

